

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

**Rector Et Senatus Academicus Civibus Academiae Fridericianae Buezoviensis
Solemnia Natalitia Domini Nostri, Jesu Christi, Pie Celebranda Indicunt,
Praemissa Meditatione De Christo, Altero Adamo : [P. P. Sub Sigillo Academico,
Ipsis Feriis Natalitiis Christi MDCCLXIV.]**

Buezovii: Fritzius, [1764]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830100628>

Druck Freier  Zugang





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn830100628/phys_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830100628/phys_0001)

DFG

via Rosdok als fund dupl.

71

572

Fa-1092 (n.)

- N. 1. Wippel Lubrius dicit Daniel Eremita.
 N. 2. Christoffelius singularia ostendens
 N. 3. la prouidence ne s'interesse point à l'individu mais à l'espèce.
 N. 4. Tychera abbreviaturarum hebreicarum supplementum I.
 N. 5. Burckers de gaza derelicta futura ad illustrandum locum Zeph.
 N. 6. Ernesti de praesentia corporis et sanguinis Christi in coena sacra.
 N. 7. ~~Angusti~~ de Concilio Tridentino parr.
 N. 8. Stephanus Ius. Caroli ch. merita in rem suam.
 N. 9. Marthini de sapientia sanctissima rite colenda.
 N. 10. Psycher de delectu veterum ebraeorum dissertationis I.
 N. 11. Witte de genuina f. G. universali notione.
 N. 12. Boederlein de finibus theologiae dogmaticae et moralis recte
constituendis.
 N. 13. Weidener quod salus aeterna non meritis nostris sed sola Dei
gratia, per meritum Christi acquisita nostra.
 N. 14. Dem Regenatus male regens et Sanctorum reditum ad Papiz
num fructus suadens.
 N. 15. Rufius de veri fidei spectatoris Christi acquiritur eti.
 N. 16. Zaacke de lege aequilibritate in natura obseruatam etc.
 N. 17. Schmid Verio Alessandrina optimum interpretationis librorum
sanctorum proecdium.
 N. 18. Richter de theologo Dei Romane ad 2 Thes. III. 10.
 N. 19. Schubert de iudicio Iosanii Calvini et Figurorum in causa
Procaristica.
 N. 20. Zachariae de usu dogmatico nominis filii Dei:
 N. 21. Emmerling interpretationis Vetus et Nov. Test. 20-33.
 N. 22. Haeselmann de divina punctorum vocalium et accentuum
cori ebraici origine.
 N. 23. Haempsius de modo predictioris Paulinae per seipsum dicti
^{Col. II. 4. 5.}
 N. 24. Dem de modo predicationis etc.
 N. 25. Haegnies Bonaventurae grisei dicitus Augustinianus deus meus officium Danta.
 N. 26. Christoffelius de vita Pamingorum commentarius etc.
 N. 27. Becker questionis: an aeterna annihilationis hominum peccatorum
loci etc.

- N. 28. Rector et senatus academicus omnibus Academiae Fridericianae Bülow
N. 29. Iauozrius de poena hereticorum etc.
N. 30. Doederlein de vero vnu atque abusu rationis humanae in rebus diuinis
N. 31. Idem de vnu atque abusu rationis etc.
N. 32. Rector Academiae Lipsiensis Pentecostales senatus etc.
N. 33. Rector et senatus academicus omnibus Academiae Fridericianae Bülow
enfir etc.
N. 34. Academiae Fridericianae Bülowiensis Rector et senatus acade-
mice memoriam resurrectionis Christi etc.
N. 35. Idem solemnia natalia Domini nostri Iesu Christi etc.
N. 36. Zachariae Christus PC WOTOKOS EK TUR VENQUR.
N. 37. Rector et senatus academicus Bülowiensis etc.
N. 38. Zachariae Christus PC WOTOKOS etc.
N. 39. Rector et senatus academicus Bülowiensis etc.
N. 40. Markius de Juri prudentia diuina et codice sanctissimo.
N. 41. Becker an Dr. D. Telles nisi negata vera spiritus S. deitate etc.
N. 42. Idem an Christus in sua explanatione et ascensione etc.
N. 43. Chrysander de fundamento explanationis Christi dominii maiestatis.
N. 44. Idem recentis scriptorum eruditorum
N. 45. Rottboell de vestibus et calceis Israelitearum.
N. 46. Trendelenburg de Iudaeis etc.
N. 47. Minnepurii zu Grauburg Pastoral Episcopatu etc.
N. 48. Rector universitatis ad solemnia paschalia etc.
N. 49. Quistorp de ratione modique quo peccati fomei etc.
N. 50. Becker creationis universi gloria filio Dei etc.
N. 51. Quistorp de Novo Pauli (Cor. 1.5.)
N. 52. Pries de sanctis angelis et postolorum etc.
N. 53. Detharding de cura infantum recens ratorum penes etc.
N. 54. Martini de non vnu iudicij denuntiatori in e Megapoli.

RECTOR ET SENATUS ACADEMICUS
CIVIBUS
ACADEMIAE FRIDERICIANAE BUEZOVIENSIS
SOLEMNIA NATALITIA
**DOMINI NOSTRI,
JESU CHRISTI,**
PIE CELEBRANDA
INDICUNT,
PRAEMISSA MEDITATIONE
DE
CHRISTO, ALTERO ADAMO.



BUEZOVII
TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.
ET ACADEM. TYPOGR.

RECTOR ET DECANUS ACADEMIE

PRO FESTIS ET CELEBRA-
TIONIBUS ACADEMIAE ROSTOCENSIS

ACADEMIA ROSTOCENSIS

SOLI DEO GLORIA
DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI

in CEFERVADA

1515

REVERENDISSIMIS MAGISTERIIS

OMNIA AETERO ADO



VITORIA

1515



Rem nouam nos non agere, neque scribere, quae
nunquam scripta sunt, si comparationem redem-
toris nostri, CHRISTI, cuius natalis rite cele-
brandus iam indicitur, cum auctore generis hu-
mani, ADAMO, ex oraculis diuinis illustramus, atque, quo
tendat comparatio ista, accurate inuestigamus, idoneisque ar-
gumentis confirmamus, nos non latet, at nec noua semper
scribi possunt vel debent, nec saepius dictorum repetitio & noua
illustratio, in primis ob nouas contradictiones, reprehendi
iure potest, quae potius ob veritatem sanctissimam tuendam
maximopere est necessaria. Id tamen & limites, quibus cir-
cumscribimus, non permittunt, & scripti publico nomine singu-
lari occasione edendi ratio vetat, ut cuncta, quae in doctri-
nae sacrae novo compendio recens a S. R. TELLERO edito,
quod meditationi huic occasionem dedit, huc pertinentia alia-
que confutacione digna sub examen vocemus, quod potius ad
alias occasions scriptaque priuato nomine edenda reseruamus,
contenti in praesenti, ea, in quibus conueniant primus alter-

A

que



que ADAMUS, investigauisse, recte ex oraculis diuinis, quae argumenti huius sedes iure existimantur, demonstrauisse, & ad meditationes pias his festis diebus conuenientes applicauisse.

Non quidem aliis locis librorum sacrorum diserte seruator noster ἔσχατος Αδὰμ appellatur, nisi 1. COR. XV. 45. primo homini oppositus, ob vitam nouam, cuius auctor est omnibus hominibus, at comparatio inter utrumque vberior foecundiorque instituitur ROM: V. 12-19, quem itaque locum merito hac de re primum praecipuumque esse ducimus. Primus homo τύπος τοῦ μέλλοντος v. 14. vocatur, neque per τὸν μέλλοντα alias praeter CHRISTUM, primo ADAMO ob reparandam salutem amissam promissum, intelligi potest, quippe qui huic in integra sermonis serie semper opponitur, recteque nomen ADAMI ex praegressis repeti hic potest, futurus itaque hic ADAMUS vocatur, qui ultimus altero loco dicitur. Eo vero rectius caussae, cur alterius ADAMI nomine appelletur, ex hoc loco poterunt indagari. Typum primum hominem dici ob similitudinem, similemque in primis ad reliquum genus humanum rationem, vocis usus cum ipsa comparatione a PAULO vberius diducta collatus satis probat. Nam de utriusque conditione interna eiusque similitudine cogitari hic nequit, quum parens ille generis humani tanquam peccatorum primum ingentique corruptione infectus sisstatur. Quam ob rem ratio ad genus humanum similis, qua uterque vicarius omnium, auctorque ingentis mutationis, quae ad omnes pertinet, factus est, sola in censum venire hic potest, et si, quae per utrumque in totum genus humanum redundarunt, valde sint dissimilia sibi-que plane contraria. Typi igitur nomen hic paullo alio sensu accipi videtur, quam quo Abrahamus, David, Salomo aliquique typi CHRISTI solent appellari, et si conueniat sensus, si typus ille, hic antitypus vocatur, eo quod uterque totius generis humani caussam egit. Sed accuratius sunt caussae singulae a PAULO allegatae, cur CHRISTUS primo homini similis, et si in

❀ ❀ ❀

in suo genere multo praestantior, sit agnoscendus, inuestigande. Peccatum & iustitia, mors & vita sibi inuicem opponuntur, similique modo illa per primum, haec per ultimum ADAMUM transisse ad omnes homines dicitur. Idem igitur sunt homines, quorum caussam egit ille & nouus noster ADAMUS, contraria vero per eos effecta & iisdem parata hominibus, at similis iterum est modus, quo partem accipiunt in noxa poenaque primi hominis, quam quo fiunt participes iustitiae vitaeque per alterum. Similitudo ista comparatione ipsa instituta v. 12. 19. patet, effectus utriusque attributos esse contrarios, vel ipsa nomina satis probant.

Id vero sine vberiori demonstratione in pluribus libris copiose diducta, antequam progrediamur, monendum ducimus, eorum nos sequi integri sermonis distinctionem, qui v. 12. sermonem inchoatum inueniunt, v. 19. breuissime repetitum ibidemque demum ad finem perducunt, illustratione membris utriusque v. 13 - 18. interiecta, ex quo apparet, conuenire sensum partis prioris sermonis v. 19. occurrentis cum iis, quae v. 12. copiosius dicta fuerunt.

Opponuntur sibi in primis παρακού primi hominis & ὑπακοή alterius ADAMI, illaque rursus παραπτώματι & παραβάσει eiusdem primi hominis respondet. Defectio atque rebellio sine dubio ipso lapsu facta est, quo primum leges diuinæ sunt violatae, ex quo colligimus, neque παραπτώμα aliud esse nisi lapsum ipsum, in primis quum vsu vocis sermonisque serie luculente pateat, ita intelligi posse ac debere hanc vocem, ut non peccatum omne in genere, sed singulare aliquod facinus ea indicetur, quod non est nisi ipsa prima actio legi diuinæ contraria, qua a Deo defecerunt pristinaque exuti sunt praestantia primi homines. Quum itaque eadem huius fuerit ratio, quae τῆς ὑπακοῆς a CHRISTO praestitae, nomine omnium hominum legem violavit diuinam ADAMUS primus, sicut omnium hominum nomine obedientiam praestitit alter.

A 3

Sed

-ADA



Sed ipse PAULUS pluribus ostendit, quomodo peccatum primi hominis atque iustitia alterius ADAMI ad integrum pertineat genus humanum. De peccato ADAMI docet, per illud peccatores constitutos esse omnes homines. Esse enim *τοὺς πολλοὺς* v. 19. eosdem, quos ante saepius *πάντας* vocauerat, nullum est dubium, neque in praesenti res nobis est cum eiusmodi aduersariis, qui illud negarent. Certum esse largimur, corruptionem ADAMI lapsu ortam naturali posteriorum eius ortu ad omnes homines esse propagatam, atque hoc modo contaminasse omnes, qui modo naturali ab eo descendunt, at solum hoc nostro loco dici, neque de ipsa peccati primi imputatione in iudicio diuino (qua cum simul ipsa corruptionis naturalis in eodem iudicio imputatio arctissime cohaeret) intelligi sermonem posse & debere, merito negamus. Conferantur I) ipsa verba : *ἀμαρτωλοὶ κατέπάθησαν οἱ πολλοὶ*. Non enim dicuntur omnes facti esse peccatores propria natura peccato contaminata, sed constituti tales, quae locutio ad ipsum forum diuinum, in quo de iustitia vel iniustitia hominum aequissime iudicatur, pertinere iure existimatur. Etsi enim alias vox ista rarius simili sensu adhibetur, quo facti peccatores dici possent, qui tales constituti dicuntur, *Paulino* tamen loquendi vsui id minus conuenit, atque collatis simul reliquis argumentis, sensum illum locum hic non inuenire, magis apparabit : quamquam interpretatione hac illa a parentibus inde primis facta naturae corruptae propagatio non negetur, quae & ipsa primorum parentum contaminatione, & aliis disertis sacrarum litterarum testimoniosis alioque modo loco hoc ipso, & propria cuiusque experientia fatis luculente confirmatur. Magis igitur sermonis sensus apparabit, si II) causam rei huius *τὴν παρακοντὸν τοῦ ἐνθρώπου* conferamus cum iis, quae saepius eadem de re ante dicta inueniuntur. Peccatores ob rebellionem primi hominis facti dicuntur iidem, qui ante *τῷ τοῦ ἐνθρώπου παρεπτάματι* mortui esse dicebantur v. 15. atque quum *παράπτωμα* illud sit ipse lapsus ADA-

ADAMI primi, mortem penetrasse ad omnes in vniuersum homines statim primo illo peccato, adseritur. Si autem dicere velis, transisse mortem ad omnes, eo quod omnes a lapsu inde contaminati sint peccato mortem indiuulsum comitem habente, proprio potius peccato interno quam vnius ADAMI delicto solo morti subsunt omnes, & nisi mortem poenam esse peccati negare velis, imputatio corruptionis internae naturalis ab ipsa origine pendentis arctissime cum primi ab hominibus commissi peccati imputatione coniuncta est. Sed alia adhuc accedit explicatio. Si v. 16. sibi inuicem opponuntur verba ἐξ ἑνὸς & ἐκ πολλῶν παράπτωμάτων, ipsa haec oppositio docet, non vnius hominis delictum tantum, sed & vnicum illud primorum hominum peccatum, lapsum ipsum, indicari, quem ἑνὸς non ad vnicum solum ADAMUM pertineat, sed ad vnicum παράπτωμα oppositum τοῖς πολλοῖς. De vnico vero hoc peccato adfirmat PAULUS, ex eo esse τὸ κρίμα εἰς κατάκριμα. Quis hic de iudicio diuino non cogitaret atque de imputatione vniici illius peccati, qua rei iudicati iure meritoque omnes homines, ideoque condemnati mortique subiecti, atque si dicis, certe reos iudicatos & condemnatos esse homines omnes, quod peccati propagatione per generationem naturalem facta omnes eius participes sint redditii, iterum ἐν παράπτωμα opponi non potest τοῖς πολλοῖς tot hominum, quorum numerus iniri nequit. Non enim sunt peccata omnium hominum propria vnicum, sed plura eaque innumera peccata. Neque cogitas, quam arcta corruptionis naturalis ab origine propagatae imputatio in iudicio diuino cum ipsius lapsus imputatione cohaereat. Ex hucusque dictis simul recte colligitur sensus sermonis v. 12. praegressi. Intraffe enim in mundum siue ad homines peccatum dicitur, non tantum naturae contaminatione, sed & primi peccati imputatione, mortemque ob idem peccatum ad totum genus humanum transisse, quo simul patet, verba, ἐφ' ὧ πάντες ἤμαστον, verti posse, eo quod omnes peccarunt, etsi ser-



Sermo maneat de parte omnium hominum, quam in primi hominis primo peccato acceperunt. Est enim idem sermo breuius v. 19. repetitus, quare eundem habet sensum, qui ibi vocibus est subiiciendus. Jam si addatur III) opponi haec v. 19. iustitiae CHRISTI, qua iusti fiant iidem, qui peccatores facti per ADAMI lapsum, quum in praesenti contra eos non disputemus, qui iustitiam a CHRISTO partam imputari peccatoris iustificatione negant, sed concedi hanc imputationem supponere possimus, atque ultimam v. 19. partem de eadem etiam explicari: facile apparet, eodem modo homines per ADAMI primi παρακονη esse constitutos peccatores, quo per alterius ADAMI υπακονη iusti constituuntur. Quod quum imputatione obedientiae omnium nomine praestitae omnibusque numeris perfectae fiat, illud etiam factum esse, apparet, imputato peccato omnium primo ADAMI seu eius παρακονη omnibus in universum hominibus, quum verborum eorumdem in eadem periodo non possit esse duplex sensus.

Si autem his opponit S. R. TELLERUS, nunquam imputatum esse ADAMI peccatum reliquis hominibus omnibus, atque ne id fieret, imputasse Deum omnibus meritum atque satisfactionem JESU CHRISTI, vel verba illa, δικαιοι κατεσάθησαν οι πολλοι, de alia iustificatione, quam quae fit per iustitiae CHRISTI imputationem, explicit necesse est, quod tamen non inuenimus, (etsi iustificatione non labem naturalem remitti arbitretur, sed tantum actus sceleratos ipsos, quos vero eadem imputatione tegi atque condonari concedit) vel largiatur oportet, eodem modo peccatores constitutos esse homines primi hominis lapsi, delictum igitur eius omnibus a Deo esse imputatum. Nihil hucusque ex sola mortis mentione deriuauimus, etsi argumenta Theologorum nostratrum ex illa etiam desumpta argumentis contrariis Tellerianis haud infirmata credamus. Semper enim opponitur του ἐνος παράπτωμα & του ἐνος δικαιώματα, atque ob illud morti subesse omnes dicuntur,

* * *

9

tur, huic vero vitam acceptam referre. Sicut igitur ob iustitiam per CHRISTUM partam ad vitam ducuntur, ita etiam morti obnoxii facti sunt delicto primi hominis, atque quum illud imputata hominibus hac iustitia fiat, mortem etiam subeunt ob imputatum idem primum hominis primi peccatum. Interpretatur quidem TELLERUS p. 259. seqq. *compendii dogmatici verba v. 12.* de destructione virium corporis ex lapsu ADAMI orta, atque putat, non poenae instar considerari mortem, sed tanquam effectum corruptae primorum hominum naturae; ac falsum illud esse, non tantum ex ante dictis patet, sed & v. 14. reliquisque illustrationibus Paulinis satis apparet, quibus imputatio peccati etiam ante legem per MOSEM datam eo confirmatur, quod alias morte puniri non potuerint, qui ante MOSEM vixerunt, ideoque semper morti tanquam poenae per ADAMUM introductae opponitur gratia per CHRISTUM obtinenda, qua a poena peccato promerita homines absoluuntur. Neque quid sit proprium arbitrariumque mortis dominium, quod ex voce Ἰωάννου colligi debet, magis quam in aliorum aduersariorum scriptis intelligi potest, quum mors non sit nisi damnum eximium ex peccato oriundum & poenae loco peccato destinatum omnibusque peccatoribus infictum, quam ob rem assertio, non de imputatione mortis, sed de eius arbitrario imperio sermonem esse PAULO, nullum fere fundit sensum, quum de mortis imputatione non quaeratur, sed peccati imputatio ex morte, poena peccati, concludatur, poenae vero diuinitus infictae imperium arbitrarium non nisi ex confusis notionibus singatur. Reliqua argumenta meliora non sunt. Nam quae ex omnium resurrectione colliguntur, falsam mortis aeternae notionem postea examinandam supponunt, etsi ubique fere per integrum eius librum commendatam. Omnia hominum reconciliationem cum Deo per CHRISTUM esse partam, omnes quidem concedimus, at ex illa probare, nullam peccati primi imputationem fieri potuisse, nemini in mentem venire recte potest. Certe omnibus hominibus peccatum nullum

B

lum



lum in iudicio diuino imputari, eodem modo ex illa concludi posset, quum non pro primo illo peccato solo satisficerit CHRISTUS, sed & pro reliquis prauis hominum operibus, non igitur pro illo tantum sit *ἰλασμός*, sed etiam pro reliquis. Si vero forte putares, solum contemptum CHRISTI damnare, non reliqua peccata, quod doctrinae formae *Tellerianae* consentire videtur, innumera alia oracula sacra, peccatum quodque damnationem mereri, docent, et si propter CHRISTUM possit condonari, atque causa, cur non condonetur, ideoque imputatio non tollatur, sit contemptus CHRISTI & fides deficiens. Quod &, ut ex principiis *Tellerianis καὶ ἀνθρώποι* disputemus, ipsis, quae de gentibus profanis docet TELLERUS, contrarium est, quibus non ob fidem deficientem salutem vult denegatam, inter quas autem plures reuera, quod ipse negare nequit, damnantur, quo igitur concedere ipse cogitur, alias ob caussas eos damnari, et si, nos iis, quae de ipsa salute gentium sine fide docet, adsentire non posse, ingenue fateamur. Supponendum etiam esset, pro solo CHRISTI contemptu ipsum non esse *ἰλασμόν*, si illud imputari nequit, pro quo CHRISTUS satisfecit, quod tamen remissione temporarii contemptus CHRISTI propter eius satisfactionem confutatur, atque omnibus locis, quibus etiam pro hoc contemptu satisfecisse CHRISTUM adseritur, e diametro est contrarium. Neque sufficiunt dicta, quibus non imputari mundo peccata propter CHRISTUM eiusque reconciliationem docetur, quum reconciliationis ante imputati peccati remissio pro omnibus parta a nobis non negetur, at applicari illam omnibus negetur, quod fieri non potest, nisi in iis, qui sunt in CHRISTO 2. COR. VII. 17. 18. Nulla vero reconciliatione atque remissione applicata, semper manet peccati imputatio, quippe quae est remissioni & reconciliationi contraria. Satis etiam diserte PAULUS paratam & applicatam reconciliationem distinguit, quum, omnes per CHRISTUM Deo esse reconciliatos, doceat, & nihilo minus in-



II

inuitandos per Euangelium plures sifstat, vt Deo concilientur v. 20. atque per CHRISTUM iusti fiant. Quod sibi recta contradiceret, nisi facta iam reconciliatio de acquisita, oblata vero per Euangelium de applicanda intelligeretur. Neque solum primum peccatum hominibus impiis non imputari, sed nullum iis ob CHRISTUM imputari posse, ex loco hoc sequeretur, si argumentum Tellerianum admitti deberet. Dissensus etiam in causa huius imputationis determinanda rei ipsius veritatem impugnare non potest, quae sermonibus diuinis nititur, atque concedenda & iure a Deo facta credenda esset, et si rei caussas distincte explicare haud valeremus. Nostrum non est, in causam hanc discutiendam euagari, quum scripti limitibus impediatur. Sufficit, concedi a S. R. TELLERO, fieri debuisse hanc imputationem, nisi aeternum de CHRISTO mittendo decreto intercessisset; ex iisdem igitur caussis, ex quibus fieri debuit, reuera etiam facta est, quum CHRISTI reconciliatio omnibus quidem proficia fieri possit & beat, et si vere a reatu poenaque liberari non possint, nisi qui fide eius fiunt particeps.

Qualis igitur inter primum alterumque ADAMUM sit similitudo, facile ex disputatis iam potest colligi. Primi est παράνοη & παράπτωμα, alterius υπακοή & χάρισμα. Ille omnium hominum caussam egit, at male & in maximum damnum eorum, obedientiam legi diuinae debitam pro omnibus violavit, eiusque peccatum integri est humani generis. Hic iterum eorumdem hominum suscepit vices, obedientiamque praestitit omnibus numeris absolutam, non suo, sed omnium hominum nomine, restituit itaque, quod ille perdiderat. Illius peccati imputatione morti sunt omnes subiecti, huius obedientiae imputatione vitam habent iidem, atque ob eam novere desinit illa imputatio infelix, quum fide haec applicetur. In iusti facti omnes per hanc iusti facti sunt, quod iustitiam acquisiuit omnibus sufficientem atque destinatam, et si non omnes vere iusti fiant per ipsum, quod iustitiam hanc spernunt, fideque

B 2

no-

3
34
35
36
37
38
39
40
41
42
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42



nolunt amplecti, imputatione igitur eius propria culpa carēt, ideoque ab imputatione altera noxia liberari non possunt. Est itaque CHRISTUS alter ADAMUS, ut totius generis humani vicarius, & auctor iustitiae pro omnibus partae.

Iudem adhuc opponuntur a PAULO, tanquam auctores mortis & vitae pro toto genere humano. Corporis mortem ex lapsu originem suam duxisse, negari nequit, at hanc solam damnum poenamque fuisse peccati, hinc mortem etiam aeternam non esse nisi corporis destructionem nunquam restituendi, quod putat TELLERUS, merito negamus. Mortis nomen latius adhiberi in sacris litteris, omnemque saepius infelicitatem complecti, iam sola oppositione erga vitam constat, quae absque dubio omnis generis prosperitatem saepius comprehendit, quod pluribus posset probari, nisi ab aliis saepissime id esset eviduum. Aeternas interim poenas peccato promeritas & damnationem aeternam conuenire cum morte aeterna, idque usum loquendi in sacris libris obseruandum requirere, facile pluribus argumentis probari potest. Primo enim concedit S. R. TELLERUS, mortem aeternam corporis iam locum non habere, sed damnationem aeternam sequi corporis mortem & restitutio nem ob CHRISTI contemptum. CHRISTUS vero eos solos a morte aeterna liberos pronuntiat, qui verbo eius obtemperant, hinc impios minus JOH. VIII. 51. De morte corporis hic cogitari nequit, & si mors aeterna corporis destruacio perpetua ex usu loquendi in Scr. S. esse creditur, sequeretur, impios vitae noniri restitutum, quod falsum tamen est. Mors itaque aeterna impios adhuc manet, non igitur esse potest nisi damnatio aeterna. Simile argumentum ex JOH. VI. 50. XI. 26. repeti potest, omnibusque illis locis, quibus morti aeternae adhuc subesse impii dicuntur, etsi vitae corporis non minus restituantur, quam pii CHRISTOque fide adhaerentes. Inter quae, quum de sensu loci alicuius Paulini ex eius ad Romanos epistola differamus, ad eiusdem C. VI. 21-23. prouocamus. Mors enim aeterna, quae vitae opponitur aeternae, est eadem, cui adhuc subsunt ferui



serui peccati, & a qua demum gratia CHRISTI & fide in eum liberantur. Quum igitur illa perpetua corporis destru^ctio in impios seruosque peccati haud amplius cadere dicatur, haec etiam ex mente PAULI nomine mortis aeternae appellari nequit, sed eadem damnatio aeterna, quae impios manet, ipsa mors aeterna sit necesse est. Non enim hic notionem fingere sibi licet formae systematis alicuius accommodatam, sed ex litteris sacris ipsis notio euoluenda est. Secundo oppositio ipsa erga vitam aeternam illud satis luculente euincit. Loco nostro corporis mortem non excludi, facile patet, in primis ex v. 14. quo ex morte corporis ante MOSEM dominante, iam ante legem solemniter publicatam imputatum esse peccatum, probat PAULUS. At omnis generis mortem tamen simul eum complecti, satis ex oppositione constat, & in primis mortem aeternam, ex oppositione erga vitam aeternam v. 21. sicut mors ex peccato orta C. VI. 21-22. eodem modo vitae aeternae opponitur. Nisi itaque de sola corporis vita intelligere velimus eandem, sed, quod vsus loquendi sacer poscit, ipseque TELLERUS in sequentibus concedit, de mentis in primis summa aeternaque felicitate: mortem neque aeternam de sola corporis morte interpretari licet, quae potius summa erit atque aeterna mentis & corporis infelicitas, seu idem cum damnatione aeterna. Tertio, idem, quod nomine mortis vitae aeternae opponitur, aliis etiam nominibus vocatur, interitus, *ἀπωλείας* & damnationis JOH. III. 15-18. X. 28. quumque altera oppositio alteram explicet, neque sit causa, cur vitae aeternae contrarium dupli modo constituatur, haec nomina mortis nomini aequipollere, si vitae aeternae opponitur, recte colligitur. Quarto, conuenire mortem aeternam cum morte secunda, indubium videtur. Non enim tantum morti opponitur resurrectione corporum sublatae APOC. XX. 14. sed & cum lacu ignis conuenit, in quem coniecti sistuntur damnati vitae corporis iam restituti, ibid. C. XXI. 8. qui non est nisi locus statusque

B 3

damna-



damnatorum, quam ob rem liberi ab hac morte declarantur in fide mortui vitae corporis restituti C. XX. 6. II. 11. Nihil itaque certius est, quam mortis nomen accipere damnationem aeternam, atque quum sit aeterna, mortique temporiae opponatur, nihil aliud eam esse, nisi mortem alias aeternam vocatam, constat. Ambigue loquitur TELLERUS de morte secunda p. 13. Ut perspici non possit, quid ipsi sit mors secunda, utrum mors temporaria, an eius sublatio, quod utrumque tamen locis allegatis contrarium est, neque distinctius in sequentibus mentem eius explicatam inuenimus, ex quo fere colligemus, ipsum satis hanc difficultatem sensisse. Accedit quinto, hanc notam mortis aeternae notionem in Scr. S. fundatum nullum habere, notiones vero eiusmodi rerum, quae praeter sacras litteras formantur, etsi res ipsae ex solis sacris libris constent, iure proficiuntur. Ne dicamus, non minui solum admodum peccati poenam, hinc peccati grauitatem, sed & fere omnem tolli, quum & id dubium esse adfirmetur, manseritne aliquis mentis humanae sensus, quo igitur non relinquitur nisi poena aliqua damni sine ullo damni illius sensu, quae eo magis poenae speciem amittit, quum ex ipsis principiis Tellerianis finis sensus irae diuinæ maxime per totam corporis vitam hominem cruciantis & angentis mors esse debuisse p. 154. Non igitur dubitandum est, non mortem tantum corporis, sed & poenas sensus aeternas, quas mortis aeternae nomen comprehendat, per peccatum humano generi esse comparatas.

Paucis iam videamus argumenta *Telleriana*, quibus mortem aeternam nostro sensu acceptam poenam non esse peccati, probare laborat. I) improprie mortis vocem hoc sensu sumi, arbitratur, quod in legibus diuinis admitti non possit. At quum constet, latiorem vocis significatum inter *Hebreos* esse frequentissimum, non est, cur in legibus, vel potius comminationibus, diuinis ille locum habere non possit, in primis quum alia oracula diuina latiorem illum significatum in poe-



poena peccati describenda confirmantque vel mors nulla
aeterna in comminatione hanc quaerenda esset, vel talis, qualis
ex reliquis sacrarum litterarum locis colligi potest. Nisi igitur
noua mortis aeternae notio iam ut certissime vera supponatur,
haec necessario in comminatione diuina genuina esse precario
dicitur. II) Corporum ad vitam reuocationem opus esse o-
mnipotentiae diuinae, lubentes concedimus, at ideo fieri eam
non potuisse ob poenas peccato promeritas aeternas infligen-
das, vel peccati poenam non esse potuisse nisi aeternam corpo-
ris destructionem, ex eo non sequitur, quum & contemptorum
CHRISTI corpora olim sit restitutura ad vitam infelicem eadem
omnipotentia diuina. III) Quum nulla restrictio comminatio-
ni diuinae GEN. II. 17. sit addita, tantum abest, ut mors ideo
de sola corporis morte sit intelligenda, ut potius frequens latis-
simus significatus retinendus sit, nulla addita restrictione, in pri-
mis quum aliis locis Scr. S. latior ille significatus confirmari pos-
sit. GEN. III. 19. de sola morte corporis sermo quidem est, at
quia reliquae poenae non aeternae sunt, sed temporales, mor-
tis quoque corporis tantum mentio fit, et si poenae aeternae
peccati non negentur. IV) Ex locis ROM. V. 12. VI. 23. con-
trarium ante iam probatum dedimus, & quum mors sine addi-
ta restrictione nominetur, ex oppositione colligi potest, qualis
mors sit intelligenda. Saltim quum, de morte aliqua aeterna
sermonem esse, concedatur, rectius notio eius ita formatur,
ut contraria sit oppositae vitae aeternae, quam alia ratione.
V) Comparantur quidem ADAMUS & CHRISTUS 1. COR.
XV. 20-22, tanquam mortis & vitae auctores, neque negatur,
de corporis vita morteque PAULLUM loqui. Sed si hoc loco
notio vera mortis aeternae impugnari, atque Telleriana confir-
mari debet, vel de morte aeterna explicandum esse sermonem
illum, vel per CHRISTUM omnes in vitam redire non posse,
nisi aeterna corporis mors poena fuerit contracta peccato A-
DAMI, supponendum est. CHRISTUM enim esse eum, per
quem aliquando in vitam sunt reddituri omnes homines, cuique
opus



opus hoc, ut hominum mediatori & iudici, sit commissum, nemo negat, sicut ADAMUS fuit ille, per quem mors etiam corporis ex lapsu orta ad omnes in vniuersum homines transiit. PAULUM praeterea de resurrectione piorum in primis loqui, omnia eius argumenta probant, de resurrectione igitur ad vitam aeternam beatam per CHRISTUM omnibus partam, quam ob rem, qualis futura fuisset mors aeterna, nisi CHRISTUS homines redemisset, ex loco hoc colligi nequit. Sed quum haec omnia iam vberius ab aliis sint dicta, atque breuitati studendum sit, prolixiores in loco hoc explicando esse nolumus. Eandem vero esse rationem loci JOH. XI. 25. arbitramur, qui igitur admodum incommode hue trahitur. CHRISTUM enim acquisitusse transitum corporum etiam resuscitatorum ad gloriam vitamque aeternam, nemo nostrum in dubium vocabit, atque de piis tantum etiam hoc loco CHRISTO est sermo, nullam igitur damnationem aeternam peccato transisse ad omnes homines, s. aeternam mortem non esse nisi corporis nunquam restituendi destructionem, falso ex eo colligitur. Adduntur VI loca 2. TIM. I. 10. EBR. II. 14. quae sine hac mortis aeternae idea explicari non posse S. R. TELLERO videntur. Reicit omnium interpretum explications, putatque, non posse intelligi mortem temporariam, sed aeternam, quum illa non sit sublata, haec igitur illa peccati sit poena, quae per CHRISTUM sit sublata. Ut argumentum hoc paullo solertius examinemus, primo supponit TELLERUS, mortem non intelligi posse temporalem, ex quo certe sequitur, mortem intelligendam esse aeternam. Sed iam quaerimus, quid sit mors aeterna? Responder, hanc non esse nisi aeternam corporis destructionem. Sed nihil his locis inuenimus, quod hanc aeternae mortis definitionem confirmet. At pergit secundo, quis nos iubeatpios CHRISTO que fide adhaerentes in locum hominum omnium substituere? Sed neque opus eo esse arbitramur, & si fieret, ratio idonea eius reddi posset. Quaerit itaque, quid significare alias possit καταγχεῖν τὸν θάρατον? Si mortem intelligamus aeter-

aeternam s. damnationem aeternam, nonne is eam sustulisse dici potest, qui viam, effugiendi illam, aperuit? Nonne peccatum sustulisse dici potest CHRISTUS, quum viam, qua ab ilius imputatione noxaque liberari possumus, aperuit, et si reuebra peccati dominio subesse pergent permulti homines. Num aliquid intelligendum est necessario, quod ita sit sublatum, etiam a CHRISTI contemtoribus, vt plane non amplius adsit? Quomodo igitur ille, qui potestatem habet mortis, Satanus, *καταργεύμενος* altero loco dici potest, qui certe adhuc adest impensis dominatur, et si potestate sua priuatus, captos tenendi, qui propria culpa nolunt captiui eius manere per dominium peccati? At si corporis etiam intelligas mortem, eamque temporiam, *καταργεῖν* opponitur τῷ Φωτίῃ, vnumque ex altero merito explicatur. Sieut itaque hoc non est nisi distinete reuelare & in clara luce collocare, ita illud non necessario ipsius mortis abrogationem comprehendit, sed eius memoria quasi obscurari praestantioris eam sequentis vitae nunquam desitiae certa indubiaque spe dicitur, quam CHRISTO soli debemus, atque Evangelii laeto argumento publicatam videmus. Vitam itaque aeternam per *λόγον*, corporis resurrectionem per *ἀρθροισιν* intelligere possumus, et si nulla omnis mortis ante resurrectionem abrogatio adseratur. Non igitur videmus, cur absurdum sit illa interpretatio, qua, innoxiam factam esse prius mortem per CHRISTUM, docetur, quum noxia sit mors tanquam poena peccati omni hominum spei finem imponens, damno itaque suo priuetur, si per eam maxima piorum spes, quam CHRISTO acceptam referunt, quaque per integrum corporis vitam inter omnes molestias aerumnasque se sustentarunt, impletur. Si tertio alterius loci occasione quaeritur, quomodo diabolus mortis habeat potestatem, ipse PAULUS respondet, eo quod mortis timore seruos peccati captos teneat. Dominio enim peccati imperat hominibus, quod sacrae litterae diserte docent, malus daemon, atque quum omni vitae melioris post mortem spe priuentur, in mortis timore detinet eos, quos vinculis hisce li-

C

g2-



gatos tener, mortisque habet potestatem, quum, ne mortis damnatione eximia effugiant, eos impedit, qui sub dominio peccati ab ipso detineri se patiuntur. CHRISTUS itaque mortis timore liberans homines per certam vitae melioris spem, viamque, mortis damnationis vitandi, aperiens ipsam mali huius daemonis potestatem sustulit. Si vero de morte aeterna sermo hic esse creditur, certe eundem malum daemonem in eam coniicere sibi peccati dominio obtemperantes, non est dubitandum, atque quum via, mortem aeternam fugiendi, per CHRISTUM sit aperta, necessitas omnis sublata est, potestati peccati, ideoque auctor eius, succumbendi. At tantum abest, ut mortis aeternae alia definitio, quam qua conuenit cum suppliciis aeternis, ex loco hoc colligi possit, ut potius mortis timor, quo capti tenentur servi peccati, maior sit, si supplicia aeterna sint timenda, quam si corporis morte omni sensui finis imponatur. Reliqua argumenta praeterire cogimus, praecipuis tantum sub examen vocatis, in primis quum non sint eiusmodi, quae rei veritatem demonstrent, sed utilitatem notionis huius commendare debeant, quae facile fingi, faciliusque confutari potest, nihil autem probat, nisi rei veritas ante aliis intuitis argumentis sit demonstrata.

Auctor itaque vitae aeternae beatae CHRISTUS factus est omnibus hominibus, sicut damnationi aeternae, quae conuenit cum morte aeterna, vitae huic opposita, omnes subiecit primus ADAMUS, atque si propria culpa non liberantur homines a morte eadem, saltim auctor liberationis factus iis est CHRISTUS. Corporis morti subsunt omnes homines ob lapsum hominum primorum, laetae, non ad maiores poenas, sed ad vitam aeternam beatam, resurrectionis auctor est alter ADAMUS i. COR. XV. 45. atque si istum primum fontem vitae omnium hominum naturalis cogitamus, hic melioris praestantium risque vitae, ad quam, vita naturali amissa, restituuntur, auctor est atque causa. Recte itaque primo ADAMO comparari potuit,

tuit, et si plane contraria sint, quae ab illo acceperunt, quae
que huic debent homines omnes.

Nisi limites scripti huius prohiberent, satis amplum ad-
huc nobis apertum videremus campum, in quem excurrere oc-
casione etiam libri *Telleriani* possemus, ipsaque comparatio
CHRISTI & ADAMI vberius diduci posset, quod vero & alio-
rum opera iam factum, & aliis occasionibus a nobismet ipsis
melius fieri poterit, quum in praesenti sufficiat, ea illustrasse,
quae ad comparationem vtriusque loco Scr. S. praecipuo, qui
iure primaria argumenti huius sedes existimatur, pertinent.

Discamus vero, Ciues Aestumatissimi, his diebus, qui-
bus ipsius CHRISTI ex homine nati ob homines redimendos me-
moriā recolimus, alterūn hunc ADAMUM recte aestimare
atque venerari. Per hominem primum summa miseria atque
aeterna infelicitas orta est, per hunc, quicquid miseri sibi opta-
re possunt, & quicquid vitae nomen amplissimo sensu acceptum
comprehendit, nobis paratum esse nouimus. Auctorem gene-
ris hunianī constituit ADAMUM primum Deus, hunc restaura-
torem, quum vita, quam ab illo accepimus, miserrima fuisset,
nisi vitae melioris auctor hic nobis extitisset. Quum in vitam
ingrediamur naturalem turpi illius imagine praediti, huius gra-
tia Dei imaginem vitamque nouam accipere possumus, eiusque
iustitia ornati Deo placere, cui illa parentis nostri imago non
potest non maxime displicere. Quum itaque his diebus homi-
nem natum CHRISTUM cogitabis, Ciues aestumatissimi, qua-
les sitis per naturalem originem a primo generis humani paren-
te, recordemini, atque simul, quantum sit beneficium diuinum,
eo discatis, quum ipse filius Dei summus humānam induerit na-
turam, yt repararet, quae primus homo amiserat. Illud qui-
dem, si ipsa spiritus diuini luce rite agnoscitur, non potest non
tristitiam moeroremque excitare, sed ideo salutarem, quod vi-
ua alterius ADAMI cognitione erigimur, atque impellimur, in
hoc solo spem nostram reponere, sine quo nihil nisi miseriam
calamitatemque videre licet. Eo vero laetior nuntius de
CHRI-



CHRISTO, homine nato, nobis erit, eo audiores eum audiemus, eoque minus festos hos dies memoriae rei huius nobis grauissimae sacros spernemus. Sacros itaque credite, Ciues, dies hos maximo restauratori salutis vestræ, vt ipsi huic sacri fatis atque sitis, operam date, fugite, quicquid vos ipsos, quicquid sacros hos dies polluere posset, atque vt vere vobis salutaris fiat auctor salutis a primo iam homine amissæ, ideo ex posteris eius natus, precibus ardentibus quaerite. Justitiam per eum partam fide diuinitus ordine præscripto effecta amplectamini, ne quis se ipsum impeditat, quo minus a noxa poenaque a primo inde parente ad nos deriuata, propriisque peccatis aucta, liberetur, aeternaque mortis a CHRISTO victæ sibi ipsi cauſa fiat. Quod si de CHRISTO nato laeto nuntio efficietur, dies hi festi inter dies vere faustos atque salutares numerari merebuntur.

P. P. SUB SIGILLO ACADEMICO,
IPSIIS FERIIS NATALITIIS CHRISTI
MDCCLXIV.







Patch Reference numbers on left

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 0-11

the scale towards document



e solche verbotene händel, seint straffwürdig, und dem sterworffen, dahin sie die Rüge: Männer bringen sollen: Verbrechen und fast unzehlig andere mehr, so wieder Gott und die moralischen Geseze streiten, so lange solche nicht her ärgernüss, und thathandlung aufgebrochen, noch für mal Richter gebracht, seind bisshero nicht beachtet, noch für sünde gehalten, dahero die Bosheit mehr und mehr en, so dennoch durch die hülfe Gottes verhütet werden dieses Sitten- und moral Gericht, durch Bestellung der erumb wird stabiliret werden.

en aber die Rüger-Richter hieben aller bescheidenheit sich en, und unterscheid zumachen, unter schlechten Verbrechis menschlicher Schwäche geschiehet, und durch ohnachtsgangen werden, oder da zugleich Bosheit mit untermennt auch aus lautem Vorsatz, und malitz geschehen, den chaden, schimpff und Ungelegenheit zubringen, wiederumb rbrechen in conatu nur bestanden, oder zur that und würteschlagen, item ob die verbrechere und beleidiger zur Vere neiget, ihre fehler selbst bekennen, und verbitten, oder ob flich wieder glaubhaftie anzeigen verneinen, ihre böse tha chen gleich in Worten oder Wercken, zuvertheidigen, und n sich unternemmen, ob sie Besserung an ihnen zuspüren oder e mehrmahl s schon, in einem und andern Laster betroffen, ret, und keine emendation geachtet, bey diesen und an nimmenden umbstenden die Mensur der Bestrafung zuneh arnach solche zulindern oder zuschärfen seyn wird; auch die Verbrechen so beschaffen, daß dieselben zur gesenck, und darauf erfolgende Bestrafung solten gedeien, ist dem Gericht, oder Fiscali davon bericht abzustatten, und die g zugewarten.

der Bestrafung seind auch die Gradus admonitionis, & Correctionis, nicht aus der acht zulassen, und solche für zuversuchen, weil dieses moral Gerichte, nicht, wie bei niali judicio gebreuchlich, mit Ketten und Banden, noch chwert geführet wird, müste aber in Contumaces einige nsura ergehen, so bannum Ecclesiasticum nach sich zöge, ist